



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

II. Qvomodo Translatus in curiam fuerit Imperatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

obsequijs necessarium. Soror autem & Dux in multis diuitijs beneficientes Capellano suo, in multa honestatis gratia Imperatori eum quamuis inuiti dimiserunt.

QVOMODO TRANSLA-
tus in curiam fuerit Impera-
toris.



MPERATOR vero primo in leuibus eum rebus exercens, familiari eius seruitio in multis benè vsus est, Psalmos & orationes priuatas sed quādo vacabat cum eo ruminare solebat. Nam aded literatus erat Imperator, vt per se breues legeret ac faceret. Videns igitur hoc placere Imperatori, psalmos & hymnos, capitula & orationes per totum annum, vt memoriter versum dicens posset affirmare Clericos elaborabat, alijsq; capellanis aliàs intentis, hic semper præsto erat, & PSALTERIUM, quo vti solebat Imperator sub * asella sua iugiter habens vel ad sellam suam iugiter dependens, quociens opus erat requirenti obtulit Imperatori. Nihil enim OTTONIS solercia negligēdum putabat, quo sibi gratiā Domini putabat cōciliare valeret, vnde mane, vesperi, omni tempore cum Psalterio suo ad manum Imperatoris præsto se OTTO exhibuit.

II.

* i. axella,

Porro illis diebus inuestituras Ecclesiarum Imperatores * solebant, & quotiens Episcopi decedebant, id moris erat, vt Ecclesia illa baculum & annulum Imperatori transmittens, de curia expostularet Episcopum.

fort. habebāt
vel: conferre
solebant.

Multi ergo nobiles & magni viri, cognati ac filij principum

Tt 2

cipum

cipum in curia degebant spe promotionis, vice Capellano-
 rum Imperatori obsequentes. Inter quos omnes tam æ-
 qualiter & compositè OTTO se gerebat, vt neque ex elatione
 inuidiam, neque ex vilitate despectum incurreret.
 Deniq; quod eo qui Cancellarius fuit, ad Episcopatum
 sublimato, OTTO sigillum Imperatoris & officium Cancellariæ
 suscepit; tantaque industria & bonitate se in illa
 gessit, vt ab omnibus curialibus amaretur, & à cunctis ei deferretur.
 Imperator vero famosum ac laboriosum opus SPIRENSIS
 monasterij habebat in manibus, omnes sapientes ac industrios
 architectos, fabros cementarios, aliosque opifices regni sui,
 vel etiam de alijs regnis in ipso opere habens, aurum & argentum
 & pecuniam multam sumptusq; infinitos annis singulis
 expendebat. At magistri operis, partim negligentes, partim
 etiam sua commoda sectatim tarde promouebant. Comonitus
 ergo Princeps à fidelibus suis, de iactura impensorum, diligentius tractare
 cepit, ac securus de OTTONIS fide, diligentia, & sagacitate,
 omne opus ei commisit; præcipiens vt tam opifices, quam
 magistri eorum illi soli parerent, omnemque pecuniam, sumptus,
 & impensas ab eo expeterent, illique retaxarent. Sed Quid?
 Non facile dici potest, quanta conseruatio rerum facta sit,
 & quanta structuræ promotio. Ita ergo in omnibus rebus,
 Deo propitio, præstabilem se & charum summis & mediocribus Otto faciebat,
 in aula regis, quasi alter Ioseph, curam gerens vniuersorum.



QVO.